Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1379
Quelle:
Copyright:

ſigna tanquam evidentia, ſed tanquam Judicia, quibus prudenter homo moveri poſſit ad aſſenſum, nec ſingula tam veriſimilia, ut ſine temeritate negari non poſſit id, quod indicant, ſed ſolum, quod ſint aliqua Signa veriſimilia, et quod ſingula conveniant Religioni Catholicae, ita ut non conveniant ulli alteri Religioni, vel ſi aliquomodo conveniant, non conveniant in tam excellenti gradu, ac conveniunt Religioni Catholicae, ſed longe inferiori. Autoris nullum indicium deprehendo; temporis vero iſtud *fol.* 28. *In Europa ipſa noſtra aetate Neapoli frequentiſſima in urbe illuſtriſſimo loco natum Marcellum Maſtrillum jamjam ex vulnere moriturum comparens Xaverius momento ſanitati reſtituit* &c. Atqui is poſtea 1637. in *Japone* martyrium fecit.

DCXIII.

R. 357 * Codex chartaceus lat. initio praeſentis Seculi exaratus Folior. 190. f. Titulum praefert: *Meditationes in Verba Symboli Apoſtolici de Eccleſia una, ſancta, catholica; ut inveniantur certa et ſimplicia Fidei Principia, quibus poſſit acquieſcere animus tot Sectis diſtractus. Auctore Carolo Guſtavo Heréo S. Cæſ. Maj. Conſil. et Antiquar.* Subditur: *Deſideratur hujus Apographi correctio ſecunda.* Ita ſane; nam et in ipſo Textu quaedam refecta ſunt, et quaedam in marginibus ſubpleta. Scriptas oportet fuiſſe has *Meditationes* poſt an. 1709. quo *Suecus* noſter *Holmienſis* ab obſequiis Principis *Schwarzburgico Sondershuſiani* digreſſus, *Viennam*que delatus cum Domino Sacra etiam priora mutavit. Opus in *Sectiones* V. quae per *Capita* et §§. arcto nexu decurrunt, diſtributum ita orditur: *Symboli Apoſtolici ſimplices enunciationes de Eccleſia una, univerſali, perpetuoque manſura, ſi conferantur cum veritatis unius et perpetuae natura immutabili, cum divinis promiſſis juratis, cum legibus praeceptivis, atque cum ipſa in ſenſus incurrente continua Eccleſiae exiſtentia, ſupervacaneum omnino videri poteſt inſtitutum probaturi operoſe rationes, quae probatione non indigent, quibus etiam indocta omnia perpetuae Eccleſiae membra per ſolam Veracitatis divinae fiduciam et ipſum ſenſum communis in Univerſitate chriſtiana veritatis tuto poſſunt acquieſcere. Verum quoniam de tam evidentibus factis poſt duo fere ſecula nondum cavillari ceſſant Viri doctrinam, pietatemque profitentes, qui nullam ſacro Codici divinae originis auctoritatem recuſare cupiunt, qui vero principia circa Eccleſiae perennitatem omnibus communia aut negare audent, aut trahere ad minoris Partis ſententias novas, diſcrepantesque, dum non erubeſcunt, Evangelii lumen ſupremo demum ſeculo ſibi ſolis ortum vindicare, et licet diſſidiorum malis obruantur, omnem, quae extra illos ſupereſt, catholicam unitatem damnare. Propterea non puto prorſus inutilem haberi poſſe hanc meam perquiſitionem*